



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologiæ Speculativæ Scholasticis Prælectionibus Et Exercitiis Accommodatæ Libri IV

Haunold, Christoph

Ingolstadii, 1678

Contr. II. Vtrum omnis actus Fidei infusæ excludat formidinem per suum
proprium & intrinsecum tendendi modum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82733](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82733)

quandoque mentiat: tunc enim non est evidens, esse periculum propinquo errandi, est tamen evidenter probabile: ergo possum liberè, propter hanc probabilitatem, judicare, me illi credendo versari in periculo propinquo errandi, nec sic judicando agam imprudenter aut temere. Imprudens autem erit tale Judicium & formido, quando nulla prorsus occurrunt motiva probabilia in contrarium, sed fortasse levissima quædam argumenta, quæ moraliter vix unquam aut rarissime sunt connexa cum veritate objecti quod suadent. Cum ergo possit homo per imprudentiam aliquando se à tam levibus argumentis sinere moveri, ad omnino negandam fidem alteri, utique poterit etiam per imprudentiam moveri ad judicandum, se dum illi homini credit, versari in periculo propinquo errandi. v. g. Rusticus non habet vllum rationabile fundamentum judicandi aut suspicandi, quòd parochus suus in rebus fidei, vtpote gravissimis, & quas debet publicè proponere, mentiat, aut unquam sit mentitus, quia auctoritas parochi tanta est apud Rusticum, quantum est auctoritas S. Ambrosij apud hominem doctum, ut bene dixit Hispanus sæpè jam laudatus. Quia tamen possunt rustico occurrere levicula quædam argumenta, propter quæ posset omnino nolle assentiri parochi, v. g. quia proponit res capui difficiles, quia aliquis malè affectus parochi dixit, eum esse indoctum &c. ideo à fortiori posset rusticus per imprudentiam judicare, etiam dum credit parochi, se credendo fortassis errare, hoc est, versari in periculo propinquo errandi. Cum ergo hoc reflexum judicium sit voluntarium, sicut omnes temerariæ suspiciones, ideo potest à voluntate cohiberi, & tunc potest rusticus dicere, se quietum & securum esse, dum credit parochi, & nihil de veritate formidare, sicut dixit S. Augustinus nos nihil formidare, quòd nati sumus ex his parentibus.

252. Favet etiam huic expositioni formidinis Etymologia nominis. Nam formido est quidam timor & fuga à malo imminente. Porro Judicium de periculo propinquo errandi, determinat appetitum ad timorem & fugam mali quod inest tiori, & ideo vocatur formido.

CONTROVERSIA II.

Virum omnis actus Fidei infusæ excludat Formidinem per suum proprium & intrinsecum tendendi modum.

253. Primus, quod ego sciam, hoc asseruit Card. de Lugo, adeo quidem, ut concesserit, posse talem modum tendendi etiam tunc imperari à Voluntate, quando superat merita motivorum; unde dixit quòd rusticus, etiam quando parochus falsum articulum proponit, possit sibi imperare assensum, quo dicat: Propter auctoritatem parochi, & Dei per ipsum loquentis credo hunc ar-

ticulum esse verum, & non posse se rem aliter habere. Hæc sententia statim fuit ab alijs rejecta cum Card. Pallav. & meritò. quia sicut non potest Voluntas imperare assensum, quando nullum penitus adest motivum assentiendi, ita non potest imperare assensum, quòd res non possit se aliter habere, si nulla adsunt motiva quæ hoc ipsum suadent, quòd vi illorum non possit se res aliter habere: sed auctoritas parochi non est tale motivum: ergo vi illius non potest rusticus imperare talem assensum.

Hinc Card. Pallavicinus, cum ex vna parte veller sequi Lugonem, quòd omnis actus fidei infusæ deberet per intrinsecum prædicatum excludere formidinem, dicendo, quòd vi motivorum non posset se res aliter habere, ex alia parte non inveniret tale motivum externum respectu rustici, invenit illud intra rusticum, nempe discerniculum jam supra rejectum. Alij deinde RR. addiderunt, quòd hoc sit ita proprium Fidei, ut nulli actui naturali obscuro possit talis modus tendendi convenire, quia nimirum nullus actus naturalis obscurus habet talia motiva, quæ possit judicare esse essentialiter connexa cum veritate objecti quod suadent.

254. DICO. Quantumvis motiva credibilitatis mereantur judicari per fidem esse essentialiter & necessariò connexa cum locutione Dei, & defacto per fidem talia judicentur, nihilominus talis actus fidei ex suo modo tendendi est conjungibilis cum formidine, seu cum judicio significato per hæc verba: *fortassis non sunt essentialiter connexa.* Unde consequens est, quòd fidei firmitas vltima & completa, hoc est exclusiva omnis formidinis, semper proveniat formaliter ab imperio voluntatis, quo illud Judicium excluditur, & statuitur constans adhesio. Conclusionem hanc non disputarunt DD. ex professio, eam tamen videntur supponere, quando vltra certitudinem objectivam, requirunt certitudinem & firmitatem adhesivam: item quando admittunt, quòd cum actu fidei ejusque merito possit stare indeliberata formido & dubitatio. Ita imprimis supponit S. Thomas q. 4. art. 8. ad 1. & egregius illius Interpres Petrus de Aragon in c. art. 5. Hoc tamen non obstante. & §. *Secundo dico.* & deinceps sæpius. Eandem supponit P. Antonius Perez, quatenus asserit, esse miraculum, posse aliquem assentiri rei obscuræ sine formidine: atqui per actum fidei assentimur rei obscuræ: ergo est miraculum quòd cum tali actu non conjungatur formido: ergo secluso miraculo connaturaliter posset conjungi, imò secundum hunc auctorem necessariò conjungeretur. Eandem Sententiam debet per consequentiam doctrinæ admittere Card. Pallavicinus, qui c. 6. n. 122. habet hæc formalia verba. *Potest tamen ex errore voluntario, aliquando culpabili, aliquando inculpabili contingere, ut aliquid appareat nobis credibile super omnia, quamvis revera non sit: atque adeo quòd possimus super omnia credere aliquid distinctum ab articulis fidei. Qui*

Bbb 2

modus

modus credendi circa talia objecta semper continet errorem vel formalem vel radicalem: disponit enim ad credendum, quod non possit aliter se habere id, quod reipsa potest se aliter habere. Ergo etiam si motiva fidei sint in se essentialiter credibilia, quod non possint non esse connexa cum locutione Dei, possum tamen semper cum tali assensu habere formidinem, an non ex inculpabili errore precedente proveniat, quod hic & nunc hæc motiva talia appareant. Eandem sententiam supponit P. Tannerus, *disp. 1. de fide q. 2. dub. 5. n. 127. & 128.* explicans per exemplum S. Augustini de fide, hos esse nostros parentes. Ex professo eam propugnat P. Ripalda, *disp. 11. f. 2. a. n. 16.* cujus argumentis non immoror, scio enim, qui possint eludi.

255. Probo ergo Conclusionem 1. à pari: Sicuti dum assentior Petro aliquid testificanti, & credo illum verum dicere, possum simul habere formidinem expressam per hæc verba. *Fortassis tamen sic credendo fallor.* ita dum judico, hæc motiva esse essentialiter connexa cum locutione Dei: possum habere formidinem, significatam per hæc verba: *Fortassis tamen ita judicando fallor:* sed sic conjungi potest formido cum judicio & fide, quæ credo hæc motiva esse essentialiter connexa cum locutione Dei: ergo vera est Conclusio. Major probatur. Non est vlla major repugnantia inter duo posteriora judicia, quam inter duo priora: ergo si priora possunt conjungi, poterunt etiã posteriora. Antecedens probatur. Repugnantia deberet esse, quod illa duo judicia sint contradictoria. Sed nullo modo sunt contradictoria. ergo nulla est repugnantia. Majorem concedunt adversarij. Minor probatur. Contradictoria judicia hæc essent: *Hæc motiva sunt essentialiter connexa cum locutione Dei. Hæc motiva non sunt essentialiter connexa cum locutione Dei.* Sed hoc secundum non est illud Judicium formidolosum: *Fortassis fallor judicando, quod sint essentialiter connexa:* ergo hoc secundum Judicium non est contradictorium illi priori. Major est clara. Minor probatur. Hæc non sunt contradictoria. *Petrus verum dicit, quamvis ita judicando fortassis fallat:* alioquin non possent stare simul, vt tamen posse fatentur adversarij. sunt autem contradictoria hæc: *Petrus verum dicit: Petrus non dicit verum.* ergo sicut hoc secundum, *Petrus non dicit verum:* non est hoc Judicium: *Fortassis fallor judicando quod Petrus verum dicat:* ita nec hæc duo erunt idem: *Hæc motiva non sunt essentialiter connexa. Fortassis fallor judicando esse connexa essentialiter.*

256. Confirmo argumentum duobus exemplis simillimis, & ab adversarijs concessis. Gratia sanctificans est essentialiter impossibilis cum peccato Mortali, & essentialiter connexa cum affectu amicali Dei. Item actus supernaturalis fidei est essentialiter verus. Jam sic. Judicium quo quis judicat Gratiã esse essentialiter connexam cum affectu amicali, & actum fidei esse essentialiter connexum cum objecto, non

minùs sunt judicia de essentia Gratie & actus fidei, quam est Judicium quo judico, hæc motiva esse essentialiter connexa cum locutione Dei: talia judicia, licet habeant intrinsecam repugnantiam cum judicio contradictorio: *Gratia non est essentialiter connexa cum affectu amicali, actus fidei non est essentialiter connexus cum objecto:* Non habent tamen intrinsecam repugnantiam cum formidine, seu cum judicio formidoloso: *Fortassis fallor in meo judicio.* (sunt enim actus opinionis) ergo pariter, licet Judicium hoc: *hæc motiva sunt essentialiter locutio Dei:* habeat intrinsecam repugnantiam cum hoc judicio contradictorio: *non sunt essentialiter locutio Dei:* Non habet tamen repugnantiam intrinsecam cum hoc judicio: *Fortassis fallor judicando, quod sint essentialiter locutio Dei.* Ego nullam invenio disparitatem.

Confirmatur iterum alio exemplo jam superius etiam adducto. Motiva suadentia Immaculatam Conceptionem B. Virginis, merentur iudicari esse talia, quæ non possent à Deo permitti, nisi essent connexa cum objecto: neque hoc adversarij audent negare, cum fateantur, quod illa motiva possent sufficere Ecclesie ad definitionem Immaculatam conceptionem. atqui cum hoc iudicio posset stare Judicium formidolosum illud, quia necdum est de fide, sed sub opinione, motiva autem opinionis admittunt cum assensu formidinem. Ergo &c.

257. Probatur nunc Conclusio à priori. Obscuritas motivorum in hoc consistit, quod non habeant vim extorquendi consensum, & notitiam intellectum: ergo potest assensus contrarij cum judicio formidoloso reflexo. Probo contrarietatem. Qui potest talibus motivis omnino negare assensum, imò ob leves rationes dissentire, potest à fortiori formidare, vtrum non assensum in assensu: minùs enim resistit motiva, plus illis tribuit, qui cum formidine assensum, quam qui nullum præbet assensum, aut omnino judicat contrarium. Sed illud prius fieri potest, etiam respectu motivorum quorumcumque fidei. ergo à fortiori potest fieri posterius. Vnde meritò dixit P. Ripalda, quod nisi hoc dicatur, non possit explicari differentia inter actum evidentem & obscurum in genere, *Quid enim est in genere objectum esse obscurum, nisi, quod quævis substantia tali apprehensioni suavitæ, non habeat vim vincendi intellectum, nisi sponte cedere vellet:* hoc ipso autem jam fatetur intellectus, se sentire, vtrum objecti vis movendi non possit vinci per motiva contraria quæ se latent; si enim hoc sciret, haberet evidentiam de veritate motivorum: fatendo autem, se nescire vtrum non possint vinci, fatetur in sua potestate esse, vel omnino non assentiri, vel assentiendo suspicari periculum errandi: quidquid enim nescimus an sit, possumus saltem imprudenter suspicari, vtrum fortassis sit, & nos lateat, alioquin quomodo probabimus, hi adversarij, quod possim imprudenter suspicari, vtrum aliquando Cicero fuerit Romæ (vt ipsi dicuntur)

tentur fieri posse) nisi vnicè: quia nescio, vtrum consensus tot Scriptorum non fallat aut fallere non possit?

258. Concludimus ergo 1. Formidinem non excludi ab actu fidei ultimo & completè per ipsum tendendi modum, quatenus asserit motiva credibilitatis non posse separari à veritate objecti, & hoc habere ex essentia sua, quia ut probatum est, de hoc ipso possemus reflexè formidare, & sapè indeliberatè formidamus, ut fatetur Suarez, & communiter omnes, sed ultimò excludi per Imperium voluntatis, imperantis assensum constantem & cohibentem omnem imprudentem formidinem: *Constantem* inquam, hoc est, sub hac implicita, & essentialiter imbibit ac inexistente conditione. *Quamdiu* (sive per possibile, sive per impossibile) *motiva credibilitatis non enervabuntur per contraria.* Sicuti in formula Juramenti, quo Professores Ingolstadiani jurant, se velle Immaculatam Conceptionem B. V. piè tenere, apponitur explicitè hæc conditio: *Quamdiu à sede Apostolica contrarium definitum non fuerit.* cum tamen iidem siemilimè teneant, (non dico fide divinà sed tamen absque formidine,) fieri non posse, vèdiniatur contrarium.

259. Concludimus 2. Ad Firmitatem Fidei non requiri, ut motiva credibilitatis judicentur aut sint talia, quæ non possint non esse connexa cum revelatione Dei, sed satis esse, si sint talia, ut non possint de illis prudenter formidari, vtrum defido non sint connexa, & ideo sufficere posse rustico auctoritatem parochi, cum absentia rationabilium motorum in contrarium. Quæ omnia per hætenus dicta probata sunt.

260. Nihilominus ex abundanti ostendam adhuc alio argumento, posse dari actum supernaturalem fidei, qui non innitatur motivis credibilitatis essentialiter connexis cum revelatione Divina, seu quod idem est, ostendam, posse dari actum fidei supernaturalem, & meritum, qui tamen non attingat essentialiter & immediatè ali-quid, de cuius essentia sit esse locutionem divinam, sed sufficere, quod per denominationem extrinsecam sit locutio Dei. Sic ergo argumentabatur contra Recentiores assertores Discerniculi necessarii ad omnem fidei actum. Potest Deus alicui revelare suam Prædestinationem: hæc revelatio non potest consistere in locutione passiva, quæ sit essentialiter locutio Dei, sed debet consistere in signis, quæ quidem hic & nunc debent eroli esse locutio Dei, absolute tamen possent existere quin essent locutio Dei, eo prorsus modo, quo se habet propositio parochi respectu rustici: v. g. si Deus per hominem sanctissimum & multis prophetijs clarum, mihi curaret dici, me esse prædestinatum, sicut Episcopus prædixit S. Monica, filium tot lacrymarum non posse perire. Ergo potest dari actus fidei, quo homo suam prædestinationem crederet, cuius motivum formale esset locutio passiva non essentialiter talis. Majorem concesserunt, & negarunt minorem. Probavi

minorem. Si revelatio illa esset essentialiter divina, non posset homo illi discredendo, aut nolendo credere, peccare mortaliter: Sed debet posse non credendo peccare mortaliter, quia agnoscit obligationem credendi. Ergo &c. Minor videbatur innegabilis. Major probabatur. Si enim posset peccare nolendo credere, tale peccatum per suum intrinsecum & essentialè prædictum penderet ab illa revelatione: ergo esset peccatum mortale essentialiter impunibile poenâ æternâ, quod repugnat. si enim posset puniri, posset talis homo stante illâ revelatione damnari, ergo falsificaretur revelatio essentialiter divina de illius hominis prædestinatione, hoc autem est impossibile. potest quidem intelligi, quomodo homo facere posset, ut illa revelatio non fuisset divina, sicut potest facere, ut hæc entitas auxilij non sit efficax, sed non potest facere, ut revelatio essentialiter Divina sit falsa.

261. Ad hoc argumentum aliter quàm expectabam, responsum est, nempe dictum est, talem actum fidei ob meum argumentum factum, fore necessarium necessitate antecedente, nec esse tunc possibile peccatum incredulitatis; adhuc tamen illum actum fore obscurum, & processurum ex pia affectione omnino necessaria necessitate antecedente.

Contra hoc vrgebam ad hominem: nam isti Recentiores docuerunt, libertatem esse actui Voluntatis essentialè, & nullo modo separabilem: atqui illa pia affectio ex se esset capax libertatis, & tamen nunc esset necessaria per accidens, ex prædeterminatione Dei quomodocunque factâ: ergo libertas esset separabilis ab actu, quod est contra hypothesin.

Responderunt, illud imperium ideo non esse capax libertatis, quia non procederet ex cognitione indifferente ad credendum & non credendum, sed ex cognitione proponente solam honestatem & bonitatem assensus. Sed contra est. Nam impossibile est, ut iudicium prædictum præcedens proponat honestatem in eliciendo actum obscuro & difficili, & ideo indigente imperio victorioso, quin hoc ipso representet motiva absterrentia. Præterea, si illud Imperium non est meritum, ad quid opus est dicere illud esse supernaturale? quid opus est ponere revelationem essentialiter divinam, cum Deus posset sine tali prædeterminare voluntatem ad credendum? Sed non vacat in hac responsione refutanda, quæ nemini hætenus placuit, immorari: Solùm addo, per se absurdum esse dicere, quod nec Magdalena liberè crediderit sibi esse remissa peccata, nec Apostolos, se esse mundos & amicos Christi, nec B. V. se esse plenam Gratiâ, quæ omnia tamen sequuntur in sententia adversariorum, nec id diffitentur.

Objiciunt contra priora aliqui. Si omnis actus fidei potest conjungi cum formidine, non potest simpliciter & absolute dici *firmissimus*, prout tamen passim dicitur, & in Professione Fidei quæ

est in Tridentino, dicitur : *Firmissimè credo & profiteor*. R. Si isti RR. attentè legissent Tridentinum Concilium sess. 6. cap. 13. viderent, posse aliquem actum Virtutis Theologica dici & esse simpliciter firmissimum, & tamen non solum posse, sed etiam debere conjungi cum formidine. ibi enim dicitur, nos omnes debere firmissimam spem habere & collocare in auxilio Dei, & tamen statim subjungitur : *Formidare debent*. Ex quibus apparet, quomodo Fides & Spes sint dicenda *firmissimæ*, nempe in quantum Veracitas Dei ejusque promissiones fallere non possunt. In quantum ergo Fides innititur Veracitati Dei, dum credit, eum hîc & nunc loqui, & in quantum excludit omnem formidinem circa locutionem Dei quam tenetur excludere, & quæ imprudens esset, evadit firmissima : nam illa res est firmissima in suo genere, in quo genere nec dari nec exigi potest major firmitas.

Obijciunt rursus. Si rusticus eadem firmitate credit articulum falsum, quâ credit verum, tunc vtrumque credit imprudenter: atqui secundum nos eadem firmitate credit vtrumque articulum, quia habet eadem motiva credibilitatis pro vtroque, ergo credit vtrumque imprudenter. Major probatur. Nam imprudentiæ est, eadem firmitate credere falsum, quâ verum. Respondet ad hoc acutè & bene Hispanus Recentior: Non esse hominis prudentis requirere à rustico prudenti prudentiam S. Augustini, & ineptum esse argumentum, & proprium eorum, qui doctrinam Ethicam neque à limine salutarunt, ab eventu factorum prudentiam ad imprudentiam probare: potest enim, inquit, aliquis evidenti iudicio practico iudicare, se esse obligatum ad credendum, quamvis id quod credit, sit materialiter falsum. & denique considerare oportet, quod apud rusticum auctoritas sui pastoris eo loco est, quo apud hominem doctum Auctoritas S. Ambrosij. hæc ille. Ex quibus verbis apparet, ab hoc auctore non requiri etiam in homine docto maiorem infallibilitatem motivorum credibilitatis, quàm quæ inest auctoritati tanti viri, quantus fuit S. Ambrosius, aut S. Gregorius Magnus (cujus festo die hæc scribo) quæ non est nisi infallibilitas moralis, seu summa improbabilitas oppositi. Quod autem est alicui summè improbabile, potest simpliciter dici, oppositum non posse se aliter habere; hoc enim sensu, vt libro præcedente retuli, docuit P. Martinus Esparza, nos non posse longo tempore vitare omnia venialia, nempe esse summè improbabile id fieri. Cum ergo rustico fit summè improbabile, parochum mentiri publicè contra suum Ministerium, & in re gravissima, jam poterit in aliquo sensu dicere: suum motivum non posse fallere, & sic prudenter assentiri firmissimè.

Addit porro idem Recentior. Sicut potest rusticus judicare evidenter practice, aliquid esse credendum, etiamsi materialiter sit falsum, ita potest practice judicare, aliquid esse credendum sine dubitatione, quamvis materialiter sit falsum:

sufficit enim, quod proponatur vt dignetur ac-
cum merito excludendi dubitationem, hoc est
meritum apud rusticum est sufficiens iussu auctorita-
tas parochi, sicut apud pueros auctoritas pater-
ni. Similiter potest aliquis prudenter proinde
iudicare, se esse obligatum ad aliquod credendum
sine formidine, cum tanta NB. voluntaria atten-
sione, vt vitam potius ponat quam fidem, quoniam
vis illud materialiter sit fallum: nam, vt dicitur
ab eventu res factæ neque probandæ neque in-
probandæ sunt. Neque est novum in huius
omni omne omnino præceptum obligare ali-
ter, quando proponitur esse imprudenter dubi-
tationem circa præceptum datum, vel legatum
tam, vt suo loco dicemus. Interim videmus
præcipue ex DD. citati Granadus & Tannerus

Hæc docuit ille Recentior in loco, vbi
cerniculum originem habuit, nempe Romæ.
quidem contra Difcerniculum hæc omnia docet,
quæ ideo referre volui, quia Recentes ams-
tæ Difcerniculi voluerunt suum Difcerniculum
palliare auctoritate hujus Hispani, quasi & illis
mitteret fidem firmissimam, quæ tamen decepta
(si superis placet) non possit sine Difcerniculo.
Sed jam apparet, nunquam Solem Lunæ esse
opponi, quam hic Recentior opponatur Difcerni-
culo, & hæc est causa, quare hujus Recenti-
tores mentionem fecerim.

CONTROVERSIA III

Vtrum ex Fide à nobis asserta, procedere possit amor Dei super omnia.

262. **R**ecentiores quidam Discerniculi fautores, adeo necessarium esse Discerniculum estimant, vt sine illo non possit haberi amor Dei super omnia, & hoc est vltimum argumentum pro discerniculo, sed, vt ipsi existimant, optimū quod tamen nec Pallavicinus, nec P. Eliazar vidit. Sic igitur argumentantur. Si motus credibilitatis possunt esse eadem respectu objecti veri & falsi, adeoque, quantum est ex le fallacia & enervabilia, qualis est auctoritas Parochi, & rusticus non habet aliud motum credibilitatis, quàm talem enervabilem auctoritatem, sequitur, quòd Rusticus credens parochio, Deum esse suum finem supernaturalem, & vt talem eligendum super omnia, sequitur, inquit, quòd Rusticus non possit elicere amorem Dei super omnia. Consequens est vtique absurdum. Ergo &c. Sequelam probant. Qui amat Deum super omnia, debet absolute velle Deum prout omnibus, pro omni tempore, nullo tempore, usq; ad circumstantiâ exceptâ, quia sine illa limitatione aut restrictione, aut conditione amantiss est. sed rusticus vi suæ fidei hoc non potest: ergo vera est sequela. Probat minorem: debet probare maiorem, quæ tam falsa est, quàm vlla propositio esse potest, etiam in ipso ministerio.